Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



64.

10) Livius Hist. Rom. l. 1: Jam primum omnium satis constat, Troja capta in ceteros saevitum esse Trojanos, duobus, Aenea Antenoreque et vetusti jure hospitii, et quia pacis reddendaque Helenae semper auctores fuerant, omnes jus belli Achivos abstinuisse. Casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetorum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi, et sedes et Ducem, rege Pylemene ad Troiam amisso, quaerebant, venisse in intimum maris Adriatici sinum: Euganeisque qui inter eam alpes, quae incolebant, pulsis, Henetos Trojanosque eas tenuisse terras; et in quem primum egressi sunt locum, Troja vocatur: pagoque inde Troja nomen est. gens universa Veneti appellati. Et Virgilius Aeneid. l. 1: ~~Ant~~

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, ~~anti~~ atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi;
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare praeruptum, et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troja: nunc placida compositus pace quiescit.

11) Etsi non statim initio, attamen aucta subinde populi multitudine, in Alpium vicinarum valles penetrasse Venetos, reor, utqui ad campestria magis se extendere non poterant, Etruscis obsistentibus.

12) Livius Hist. Rom. l. 1. Joan. Berlius Studim. Chronolog. c. 11: Aliq Dionysius Halicarnassensis l. 1. Cato, aliique feribunt conditam Romam anno 432. post Troja excidium, qui annus convenit cum anno P. Juliano 3961. Praeterea juncta Varronem, et Plutarchum natali urbis statuuntur in anno sphiti 24. id est anno 4 Olympiadis 6. qui annus idemque est cum praedicto anno P. Juliano 3961. Mundi 3251. Quanquam et illam sententiam aeque probabilem judicat Bertius, qua Romam conditam anno I Olympiadis VIII tradit.

13) Seneca l. 3. c. 24: Tuscos (qui et Etrusci et Tyrreni) Asia debemus. Maffejus in Originibus Etruscis, apud Hoschmannum in Veldidena c. 25.